

Atticæ, Bœotiae usque ad 3000'-4500' (Boiss! Heldr! Orph. Fl. Gr. exs. 764!), Eubeæ (Sart!), Zacynthi (Marg.), Cretæ (Sieb!, Heldr!) montium Cypri (Ky. 210! et 245! sub *C. Raulini*). Fl. Apr. Mai.

β . *Mungieri*. — Scapi foliis vix sesquilongiores jam a basi dichotomi oligocephali, segmentum terminale lateralia vix superans. Collo (in Diagn. erroneé glabrum) ut in typo lanatum. — *C. Mungieri* Boiss. l. cit. p. 55.

Hab. in quercetis montis Ida Cretæ supra Vorisa (Heldr!).

Pedalis et bipedalis, affinis *C. lampsanoidi* foliis caulinis late auriculatis, radicalium segmentis paucioribus, etc., distinctæ. Hæc species et duo sequentes valde affines sunt; ulterius observandum an notæ quibus distinguuntur sat firmæ sint.

34. ***C. Hierosolymitana*** (Boiss. Diagn. Ser. I, 11, p. 54) radice brevissimâ præmorsâ longe et dense fibriferâ, collo non lanato, foliis teneris utrinque sed subtus præsertim parce setulosis, radicalibus petiolatis interrupte lyratis segmento terminali a basi subcordatâ ovato cæteris ovato-rotundis subretrorsis versus basin folii sensim diminutis omnibus obtusis repandis vel integris, caule elato superne laxe et dichotome corymboso, folio caulinò inferiore basi amplexicauli pinnatifido acuto cæteris linearibus, pedunculis adpresso puberulis eglandulosis, capitulis mediocribus, involuci livescentis puberuli phyllis externis calyculiformibus triplo brevioribus internis lanceolatis fructiferis basi convexis, acheniis incurvis apice attenuatis striatis, pappo albo caduco ♀.

Hab. in rupestribus umbrosis Palestinæ circa Hierosolymam (Boiss!), Hebron (Ky. 626!), in collibus Libani supra Sidonem (Gaill! exs. 2033!, Bl. 174!).

Pedalis vel sesquipedalis, foliorum formâ et habitu valde affinis *C. Sieberi* a quâ præter indumentum inflorescentiæ non glandulosum differt præsertim collo glabro vel minute puberulo nec dense rufo-lanato. Achenia curvula sunt sed hic character in var. β . *C. Sieberi* quoque occurrit.

35. ***C. willemetoides***, radice præmorsâ brevissimâ, fibris tenuiter cylindricis e collo glabro oriundis, foliis teneris subtus ad nervum pilosis, radicalibus petiolatis lyratis segmentis lateralibus subternis ovato-triangularibus retrorsis acutis versus basin diminutis terminali multo majore subcordato ovato-oblongo denticulato, caule gracili superne corymbose 2-5-cephalo, foliis caulinis 1-2 inferioribus oblongis supra basin amplexicaulem constrictis, supremis anguste linearibus, pedunculis glabriusculis, capitulis mediocribus, involuci livescentis glanduloso-hirti phyllis externis calyculiformibus lanceolatis triplo brevioribus intimis lanceolatis obtusiunculis, acheniis... ♀.

Hab. in Persiâ boreali orientali prope Siaret (Bge exs. 275!).

Pedalis vel elatior, affinis *C. Sieberi* et *C. Hierosolymitanae* a quibus differt segmentis lateralibus paucioribus acutis, a priori collo non lanato, a posteriore involucro glanduloso, etc.